



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Confessio vt sit recta, quænam exigat: quomodo animus ad eam sit
discutiendus: quo item pacto ea peracta, propositum bonum sit
resumendum. Cap. XXVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

V
L

*Confessio ut sit recta, quoniam exigat: quomodo animus ad eam sit
discutiendus; quo item pacto ea peracta propositum
bonum sit resumendum.*

CAPVT XXVIII.

Ante confessionem discute horas & tempora, & ubi fueris, quid egeris, quid dixeris, quidve neglexeris (quod delictum in se habeat) in memoriam reuoca. Maximopere autem ad contritionem, ad dolorem & penitentiam cordis te exerce. Ab omnibus vero ijs quae confiteri vis (si remissionem optas obtinere) necesse est, ut proposita habeas firmissimum abstinendi. Non solum autem ab ijs, sed ab omnibus quoque quicquid fuerit quod in se delictum habet. Circa confessionem potissimum diabolus insidiatur, ne quod lucratus fuerit in homine iterum amittat. Commendabis te igitur Deo beatissimae eius Matris, & Angelo tuo sancto, orans ne diabolica decipiaris fraude, & ut confessionem facere quaeas integram, iuxta beneplacitum diuinum ac perfectissimum. Sancta Maria Magdalena quoque, & sancta Barbara gratiam feruntur habere efficacem à Domino sibi collatam potenter impetrandi veram confessionem se inuocantibus. Haudquaquam palliare tuam confessionem tibi licet. Nunc Deum ac simul teipsum decipies: Si non plene fueris confessus, hoc est, si tacueris aliquid confitendum, nihil es confessus. Non omnes tamen scrupuli aut phantasiae tentationesque in confessionem sunt perducenda: sed ea quae graua sunt peccata, aut grauant alia peccata euidenter, ex proposito non negligantur aut excusentur. Confiteri igitur libere, nude, ac simpliciter sacerdoti, quomodo Deo faciteris qui omnia vidit. Non ignominia, sed gloria est confiteri & poenitere. Nichil igitur sacerdotis verearis cogitationes. Sive enim te despexerit, sive te dilexerit, nihil tua interfit. Quod vult sentiat. Tu pluris facito fieri te amicum Dei, pro qua re totum quod conscientiam tuam mouet, confiteri nude & plane, quae placere homini. Expleta confessione, renoua propositum tuum, quod fregisti, maximè autem hoc generale, quotidianum ac perpetuum, nunquam scilicet scilicet scilicet scilicet aut spontè peccandi, cauendi omnia quae Deo displicent, quae ve ad hoc ut displiceatur Deo inducunt, aut occasionem praebent. Saepius autem in die roga Dominum pro vera intensissimaque contritione peccatorum tuorum commendatione vitae tuae & pro imitatione vitae suae, ut reliquum quod superest, temporis vitae tuae iuxta sanctissimum ac diuinum eius beneplacitum expendas. Quia verò quicquid absque ordine certo, ac sine tempore statuto incipitur, perire iterum facili ex causa solet, potissimè tempus illud pro hac effusione cordis deputa, quo legere soles poenitentiam. In omni confessione sic te disponas, quasi in extremis iam constitutus, vltimam esses confessionem facturus moriturusque. Quicquid igitur tunc duceres confitendum modo confiteri.

Confessione
nem prepara-
tione cuius-
modi praeco-
dere debet.

Confessione
nem non esse
alluenda

Confitendū
esse nude &
simpliciter.

Propositum
bonum vti
renouanda
fit.

Confessio
viti facienda.

RR 2

Mor-